

GABRIELIS PHAERNI
CREMONENSIS.

Illustres animæ quarum miro ordine mores
Et clara Iouius facta chartis tradidit,
Seu uos imperijs in pace uigentibus auctæ
Seu bellica fuitis arte præditæ.
Quisquis inest uobis post fata nouissima sensus,
Si, quæ hic aguntur, scire uos credi licet,
Lætitia certe haud modica gestire, nouoque
Debetis alacres exilire gaudio,
Quum reuirescentem longo post tempore famam
Uestrām, atque laudes excitatas cernitis
Facundi calamo Iouij, quem nostra prope unum
Aetas, uetus tis inserit scriptoribus.
Quare etiam atque etiam, uos huic debere fatendum est,
Aeterna per quem uestra uiuet gloria.
Nec minus insigni debetis plurima COSMO
Cui lœta pulchræ paret ora Etrurie,
Hæc qui uestrorum iuuenis generosus honorum
Monumenta, formis ius sit excudi æneis,
Ille unus lapsas sæclis uergentibus artes
Et litterarum studia neglecta erigit,
Ille fouet uates, illi pia carmina curæ,
Et restituta in pristinum sapientia,
Et quæ sidereo linquens Astræa recessus
Sub hoc reuisit Principe humanum genus.
Utque salutiferum radianti lumine sidus
Seu Veneris almæ, siue supremi Iouis
Tristia felici leuat exoriens aspectu
Astra, atque lætos undique euentus ciet,
Non morbi, non bella uigent, maria alta quiescunt
Et aucta largis terra ridet frugibus;
Talis honorato Medicum de sanguine COSMVS
Orbi serenum illuxit Etrusco iubar,
Sustulit incestas pœnis ultricibus artes
Mores probrosos pepulit, induxit bonos,
Virtuti pretium, ingenij honor additus, vnum
quenque ad decora studia & artes allicit.
Pax secura uiget, iustum dominatur & æquum,
Procul insolentes exulant iniuriæ,
Macte ista uirtute animi clarissime Princeps
Futura nunquam te filebunt sæcula.